

fiunt tam ex lege scripta, quam ex moribus. Verum in genere loquendo ea demum consuetudo habenda est *pro rationabili*, quæ juri naturali & divino non adversatur. Proinde quæ consuetudo præceptis divinis moralibus, & principiis rectæ rationis adversatur, illa merito pro irrationabili habenda est.

Dico : *Moralibus*. Nam quando de jure divino positivo nobis est sermo, tum distingvendum est in casu, quo nihil præcipit, An (1) *peccatum non includat*, v. gr. perjurium, aut alterius læsionem. Ita in ore duorum vel trium consistit omne verum : attamen consuetudine licitè potest introduci, ut interdum septem, interdum quoque pauciores testes adhibeantur. In eo enim nihil peccatur. (2) *An peccatum inducat, vel includat*, quo sanè casu ejusmodi consuetudo juri divino nihil derogat : v. gr. Si alicubi consuetudo velit introduci, ne quis servet juramentum etiam in casu, ubi illud citra dispendium salutis æternæ servari queat, *per cap. Cum contingit. Ext. de jurejur.*

Quando itaque constat, facta prius diligenti inquisitione in consuetudinis qualitate, consuetudinem aliquam non nisi ratione, sed potius aliquam improbabilitatem secum importare, tum illa tantum abest, ut servari, ut potius emendari, & tantum non penitus evelli debeat. Hoc enim ad consuetudinem bonam & laudabilem requiritur, ut in recta ratione sit fundata, aut eidem non repugnet : nihilque absurdi in se contineat, sed propter bonum finem sit introducta; ne exinde vel ulla delinquendi præbeatur occasio. *Ratio* est, quia Consuetudo, si ejus formam & essentiam consideres, est species juris, quæ nullam peccandi occasionem præbere, sed potius semper id, quod justum & æquum est, pro norma habere debet.

Quibus præmissis, occasione præsentis Articuli unam atque alteram irrationabilem consuetudinem videbimus ; I. Irrationabilis est consuetudo, quando fiscus rem furtivam, quæ in judicium deferretur, sibi vindicare vult. Etenim nulla hic versatur domini culpa, ob quam ipsius res propria applicari debeat fisco. Jam verò quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri, & ex dominio nostro exire non potest. Gilhaus. *ad h. artic. fol. 69.* Nunc verò dominus rei nihil admittit, ob quod ei res sua auferri, & istius dominium in alium possit transferri. Propter delictum furis autem ut dominus rei damnum patiatur, & ita fiscus cum ipsius damno locupletetur, illud à juris ratione
abhor-